

miraculis, quo valuit nisu repere cœpit; nec se carpento permittit imponi, sed tractu prout valet illud agere gestit iter. Ad templum vero perveniens, quo pretiosum salutis audierat munus inesse, fuis Domini clementiam votis pro sui flagitat liberatione, sed et propriis fertur pavimenta lacrymis humectasse. Quæ postquam per tres ita dies egisset, dum denuo precibus incumberet, divina sibi gratia superveniente, vim medicinæ vix valens ferre, magnis cœpit vocibus strepere, et ejulatus acerbos edere; sicque nodis nervorum resolutis, omniumque poplitum contractione relaxata, unius horæ ferme spatio, viribus exhausta jacuit quasi mortua. Sed qui contulit absolutionis opem, roboris addidit quoque vigorem. Moxque ceu de gravi evigilans somno ubi supernum sibi sentit obvenisse beneficium, pignoris alma petit loculum, cujus gratia sibi contigisse non hæsitabat remedium. Dehinc gratias hic agens, ibidemque degere gratificata decernens, et precibus crebris insistens, debitas medicatori suo celebrat excubias, ac salutaris quotidie libaminis offert oblationes.

LXXXVIII. Fuit autem Rhemis in præfata Dei Genitricis ecclesia corpus illud sacratissimum beatissimi patroni nostri Remigii, dum præmemoratus antistes dominus Fulco præsulatus fungitur officio, scilicet

A usque ad episcopatum venerabilis Herivei archiepiscopi, qui cessante Normannorum persecutione, per solam Dei clementiam pace recuperata, munus idem supernum propriæ sepulturæ ipsius referre decrevit intra mœnia: quod dum convocatis quibusdam regni proceribus agere maturaret, accumulare dominus ejus non distulit clarificationem suorum repetentis ossium sedem. Contigit enim, dum magna populi confluentis stiparetur caterva postquam sunt urbe egressi, quidam claudus et ariditate nervorum poplitumque contractus, Abraham nomine, qui scabellulis hærens per terram se tantummodo trahebat, ut poterat, ubi secus urbem veniens iter ad sancti basilicam inchoasset intendere, divina tactus potentia, compagum duritia resoluta, cœpit ad salutis extendi remedia. Quem sospitate recepta pluribus vidimus annis incolumem erectum, gradientem, collataque sibi prosperitate gaudentem. In eo vero loco, ubi hoc salutis accidit donum, posita deinceps exstat columna, cruce præfixa glorificationis hujus continens monumenta. Sed et tam prius creberrime, quam postea, clarissimis sæpe multiplicibusque miraculis ejus sepulcri decoratur ecclesia, quæ nequaquam litteris habentur comprehensa: sunt namque multimoda.

XXII.

ENCOMIUM EJUSDEM SANCTI REMIGII

PER HINCARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM,

(Apud Surium, ibid.)

I. Videamus etiam quomodo hic beatus Pater et pastor noster benedictionibus sibi a legislatore Deo datis, ipsius auxilio in sæculi hujus convalle lacrymarum ascensiones in corde suo disposuit, et de virtute in virtutem gratia Dei proventus excrevit, usquequo eum, quem semper desideravit spiritu, facie ad faciem videre promeruit. Idem namque Dominus in Evangelio dicit: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (Joan. xiv). Quod quasi exponens Apostolus dicit: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum* (I Cor. iii). Quia in illa æternæ beatitudinis vita non dispari, unusquisque juxta dispar meritum locum disparem percipit. Sed ejusdem disparilitatis damna non sentit, quia tantum sibi, quantum perceperit, sufficit. Et catholica doctrina didicimus, quia distinctæ conversationes hominum singulorum, agminum cœlestium ordinibus congruunt, et in eorum sortem per conversationis similitudinem deputantur.

II. Nam sunt plerique, qui parva capiunt, sed tamen hæc eadem parva pie annuntiare fratribus non

desistunt. Isti itaque in angelorum numerum currunt. Et beatus Remigius, licet multiplex scientia Dei dono in eo esset, ut fidelis servus et prudens, conservis suis in tempore mensuram tritici, id est pro captu audientium, ministravit (Luc. xii): et secutus Apostolum, prius barbaris lac potum dedit, non escam (I Cor. iii). Et teste Malachia, quia sacerdos angelus Domini est (Mal. ii): unde et sanctus Remigius sacerdos magus angelorum consortium meruit.

III. Et sunt nonnulli, qui divinæ largitatis munere referti sacramentorum cœlestium summa et capere prævalent, et nuntiare. Quo ergo isti, nisi inter archangelorum numerum deputantur? Et beatus Remigius sapientiam loquens inter perfectos, quando male sentientem hæreticum de vero Dei Filio in synodo catholicorum episcoporum convertit, in archangelorum numero meruit deputari.

IV. Et sunt nonnulli qui mira faciunt, signa valenter operantur. Quo igitur isti, nisi ad supernarum virtutum et numerum et sortem congruunt? Et beatus Remigius, et in corpore positus, et post obitum, ut supra ostendimus, mira fecit, signa valenter operatus

est : ad supernarum igitur virtutum sortem et numerum congruit.

V. Et sunt nonnulli, qui etiam de obsessis corporibus malignos spiritus fugant, eosque virtute orationis et vi acceptæ potestatis ejiciunt. Quo itaque isti meritum suum, nisi inter potestatem cælestium numerum sortiuntur? Et sanctus Remigius virtute orationis, et vi acceptæ potestatis, ut supra ostendimus, de obsessis corporibus malignos spiritus effugavit. Ergo inter potestatum cælestium numerum sortem accepit.

VI. Et sunt nonnulli qui acceptis virtutibus etiam electorum hominum merita transcendunt. Cumque et bonis meliores sunt, electis quoque fratribus principantur. Quo ergo isti sortem suam, nisi inter principatum numeros acceperunt? Et beatus Remigius, hujus Rhemorum civitatis archiepiscopus, sanctis fratribus Vedasto scilicet a se ordinato in Attrebatu, Medardo in Viromandis, Lupo Suessionis, Genebaldo in Lauduno et reliquis in subjectis sibi civitatibus electis fratribus principatus, sortem suam inter principatum numeros accepit.

VII. Et sunt nonnulli, qui sic in sibimetipsis cunctis vitiis, omnibusque desideriis dominantur, ut ipso jure munditiæ dei inter homines vocentur. Unde et ad Moysen dicitur : *Ecce constitui te deum Pharaonis* (Exod. vii). Quo ergo isti, quorum comparatione cæteri homines, ut ita dixerim, servi sunt, nisi inter numeros dominationum currunt? Et beatus Remigius cunctis vitiis, omnibusque desideriis in semetipso dominatus jure munditiæ solus faciem Christi videre potuit, quando ad eum, et ad regem Ludovicum ac reginam, cæterosque astantes in oratorio sancti Petri, ut supra est demonstratum, advenit, et ut servo sibi subjecto baptizando regi potestative præcepit, dicens : Depone colla, Sicamber : et Pippinum regem, villam Anisianum de Ecclesia Laudunensi auferre molientem flagellavit. Inter principatum ergo numero sortem suam accepit.

VIII. Et sunt nonnulli, qui dum sibimetipsis vigilantia cura dominantur, dum se sollicita intentione discutiunt, divino timori semper inhærentes, hoc in munere virtutis accipiunt, ut judicare recte et alios possint. Quorum profecto mentibus dum divina contemplatio præsto est, in his velut in throno suo Dominus præsidens aliorum facta examinat, et cuncta mirabiliter de sede sua dispensat. Quid ergo isti nisi throni sui conditores sunt, vel quo, nisi ad supernarum sedium numeros ascribuntur? Per quos dum sancta Ecclesia regitur, plerumque de quibusdam suis infirmis actibus etiam electi judicantur. Quod et per sanctum Remigium actum fuisse legimus, quando electum Dei Genebaldum episcopum de suis infirmis actibus judicavit, et post iudicium cordi suo Domino præsidente, ipsius passione in ordine episcopatus illum restituit. Constat igitur beatum Remigium ad supernarum sedium numerum esse ascriptum.

IX. Et sunt nonnulli, qui tanta Dei ac proximi di-

lectione pleni sunt, ut Cherubim jure nominentur. Quia enim Cherubim plenitudo scientiæ dicitur, et Paulo docente didicimus, quia plenitudo legis caritas (Rom. xiii) : omnes qui Dei et proximi caritate cæteris amplius pleni sunt, meritorum suorum sortem inter Cherubim numeros perceperunt. Et qui ea quæ superius de eo lecta sunt, sollicita mente intendit, quam plenus caritate fuerit, patenter intelligit : quantaque scientia repletus exstiterit, dictis et factis suis, et testimonia sancti papæ Hormisdæ, ex præmissis adveniit. Igitur sanctus Remigius meritorum suorum sortem inter Cherubim numeros percipere studuit.

X. Et sunt nonnulli, qui supernæ contemplationis amoris facibus accensi Conditoris sui desiderio anhelant, nil jam in hoc mundo cupiunt, solo æternitatis amore pascuntur. Terrena quæque abjiciunt, cuncta temporalia mente transcendunt. Amant et ardent, atque in ipso suo ardore requiescunt. Amando ardent, loquendo et alios accendunt. Et quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt. Quid ergo istos nisi Seraphim dixerim? Quorum cor in ignem conversum, lucet et urit : quia et mentium oculos ad superna illuminant, et compungendo in fleatibus, vitiorum rubiginem purgant. Quia ergo ad amorem sui Conditoris inflammati sunt, quo nisi inter Seraphim numerum sortem suæ vocationis acceperunt? Qualiter autem beatus Remigius in amorem sui Conditoris arserit, loquendo et alios accenderit, gens integra Francorum, cum rege ad fidem catholicam prædicatione illius converso, testatur. Qualiter vero terrena quæque abjecerit, cuncta temporalia mente transcenderit, solo æternitatis amore passus ad amorem sui Conditoris inflammatu exstiterit, fidem faciunt verba, quibus Conditoris desiderio succensus, pene continue ore, semper autem corde dicebat : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Si vivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei, satiabor dum manifestabitur gloria ejus* (Psal. xli et xvi). Inter Seraphim ergo numerum sortem suæ vocationis accepit. Cum quibus sancta ejusdem viri apostolici anima una cum suis consortibus in cœlesti lætatur gloria.

XI. Sed tunc nimirum multo perfectius idem et sui participes lætabuntur, cum recepta carne immortalis, receptis in eadem beatitudine conservis suis et fratribus cunctis, quos adhuc in terris certare conspiciunt, non habebunt ultra quo intuitum cogitationis suæ foras vel ad modicum mittant, habentes secum intus Deum, de cujus visione superna gaudeant. Ubi illud primum et maximum Domini mandatum integrum perficietur, ad cujus perfectionem in hac vita justis pro suis quique viribus accinguntur : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et in tota mente tua, et diliges proximum tuum sicut teipsum* (Matth. xxii; Marc. xii). Quia quo vicinius præsentem Domini vultum cernunt, eo se ardentium ejus dilectioni totos impendunt, quo

proximos suos omnes esse electos, ac Deo dilectos agnoscunt. Quo corda illorum non minus quam sua, sincero amore reflecta respiciunt, eo illos ipsi non minus quam se ipsos amare delectantur. Nam pro fideliter laborantibus in hujus vitæ agnitione sancti Deum orant, eisque compatiuntur. Sed et pro eis, ut supra dictum est, qui propter bona quidem opera ad electorum sortem sunt præordinati, sed propter mala aliqua, quibus polluti de corpore exeunt, post mortem castigandi pro qualitate operum pœnis excipiuntur, et purgati ad beatorum perveniunt requiem. Pro his vero, qui jam corporibus exuti sunt, æternis suppliciiis traditi, quamvis in suæ naturæ bonitate misericordiam habeant, jam auctoris suæ justitiæ conjuncti, tanta rectitudine constringuntur: ipsi quippe judicio concordant, cui inhærent: et eis quos eripere non possunt, nec ex misericordia condescendunt, quia tanto illos a se vident extraneos, quanto et ab eo, quem diligunt, auctore suo conspiciunt repulsos, et erecti jam per justitiam judicii, eis nullo modo ex aliqua compassione miserentur. Verum et ante retributionem extremi judicii, injusti in requie quosdam justos aspiciunt, ut eos videntes in gaudio, non solum de suo supplicio, sed etiam de illorum bono crucientur. Justo vero in tormentis semper intuentur injustos, ut hinc eorum gaudium crescat, quia mala conspiciunt, quæ misericorditer evaserunt. Tantoque majores ereptori suo gratias referunt, quanto vident in aliis quid ipsi perpeti, si essent relictis, potuerint. Nec illam tantæ beatitudinis claritatem apud justorum animum fuscabit aspecta pœna reproborum: quia ubi jam compassio miseræ non erit, minuere procul dubio beatorum lætitiâ non valebit. Et quamvis eis sua gaudia ad perfrundum plene sufficiant, mala tamen reproborum absque dubio semper aspiciunt. Quia qui creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur, quo videre non possint.

XII. Sicut igitur audita sanctorum gloria, audita reproborum miseria, auditis hujus sanctissimi patroni nostri meritis, auditis beneficiis, quæ in miraculorum patrâione ac sanitarum largitione, credentes et devoti homines ipsius patrociniis per donum gratiæ meruerunt, ut nobis talia ejus intercessione impertiri desideramus, ita et auditis ultionum vindictis, quæ peccantes ac rebelles, ipsius meritis per retributionem justitiæ sustinuerunt, in peccatis, et quod adhuc est gravius, in peccatorum pertinacia rebelles persistere timeamus, ne similibus aut gravioribus suppliciis obruamur, si tantis ac talibus exemplis cognitis, nec beneficiis ad bene agendum provocamur, nec territi vindictis a malis nos cohibemus. Flagellorum enim vindictæ nobis illatæ, si nos a peccando revocant, et ad pœnitentiam provocant, et post pœnitentiam nos crimina non remaculant, finis sunt nostrorum præcedentium peccatorum. Sin aliter. sunt initium sequentium tormentorum. Cognoscentes ergo hunc patronum ac protectorem nostrum esse unum de illis de quibus scriptum est:

A *Illi sequuntur Agnum quocumque ierit (Apocal. xiv),* timeamus in conspectu Dei ei in oculis ejus peccare: peccantes autem non erubescamus peccata nostra, quæ novit, Deo, et illi corde contrito et humiliato per lacrymas confiteri, et indulgentiam cum dignis pœnitentiæ fructibus postulare. Nemo aliqua suorum numerositate vel enormitate scelerum confusus, de salute impetranda diffidat, et barathrum desperationis incidat, juxta illud Salomonis: *Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit (Prov. xviii).* Habemus enim confitentes peccata nostra, et petentes veniam, de impetranda indulgentia anchoram fidei ac spei, per Joannem apostolum nobis deprompta: *n: Si confiteamur, inquit, peccata nostra, fidelis et justus est Deus ut remittat nobis peccata nostra (I Joan. ii).* Et quia sine peccato in hac vita esse non possumus, prima salutis spes est confessio. ne quisquam se justum putet, et ante oculos Dei, erigat cervicem: deinde dilectio, quia *charitas operit multitudinem peccatorum (I Petr. iv).* Pulchre autem utrumque Apostolus simul nobis insinuat, quod et rogare pro peccatis debeamus et impetremus de Deo indulgentiam cum rogamus. Ideo et fidelem dixit Dominum ad remittenda peccata, fidem pollicitationis suæ servantem: quia qui orare nos pro debitis et peccatis docuit, paterna misericordia promisit et veniam secuturam. Justum quoque eum asseverat, quia veræ confessioni justè dimittit. Peccata nostra præterita in baptismatis perceptione nobis donata sunt, attamen post baptismum multa commisimus, sed lavari iterum baptismatis aqua non possumus. **C** Quia ergo et post baptismum inquinavimus vitam, baptizemus lacrymis conscientiam, et quasi quotidiano Jordanis baptismate lacrymis conscientiam nostræ compunctionis ab omni vitiorum subripiendum contagione purgemus, juxta eum qui dicit: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo (Psal. vi).* Unde rectè Jordanis rivus judicii interpretatur. Quia nimirum electis quique quo sollicitius suam conscientiam discutendo examinant, eo latiores ex intimo cordis fonte lacrymarum fluvios fundunt. Et quia minus perfectos se esse deprehendunt, sordes suæ fragilitatis undis pœnitentiæ diluunt, et parvulos cogitatos suos ad petram, videlicet Christum, allidunt, omnesque sensus mentis ac corporis petra spiritalis exercitus circumcidere student. **D** *Petra, inquit, erat Christus (I Cor. x).* Cujus fide, spe et charitate non solum in baptismate, sed et in omni prorsus actione, devota purificantur corda bonorum. In quo pietatis exercitio si nos viderit hic dominus et patronus nos et fideliter laborare, data intercessionis manu cursum nostrum juvabit, qualiter ad portum æternæ salutis pervenire possimus. Legit enim in lumine incircumscripso cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris sui assistens, quia libenter obliviscitur omnipotens Deus quod nocentes fuimus, paratus est pœnitentiam nostram nobis ad innocentiam deputare. In quippe baptismatis omnibus nos antiqui

hostis operibus, atque omnibus pompis abrenuntiare promisimus, sed quod promisimus minime servamus. Ad exercenda prava opera, ad concupiscendas mundi pompas dilapsi sumus. Inquinati ergo post aquam salutis, renascamur ex lacrymis. Apud misericordem namque judicem, nec ille fallax habebitur, qui ad veritatem revertitur etiam postquam mentitur. Quia omnipotens Deus dum libenter nostram pœnitentiam suscipit, ipse suo iudicio hoc quod erravimus abscondit...

XIII. Cæterum nemo fidelium de hujus patroni nostri meritorum in cœlis virtute dubitet, cui adhuc mortali carne in terra degenti Dominus potestatem dedit ligandi et absolvendi, mortuos suscitandi, omnem languorem et omnem infirmitatem curandi (*Matth. xviii*). Ad cuius corporis sepulcrum, sicut multis indiciis frequenter est demonstratum, viventes ægri veniunt et sanantur. Perjuri veniunt, et a dæmonio vexantur. Dæmoniaci veniunt, et liberantur: Quomodo ergo vivit illic, ubi vivit, si in tot miraculis vivit hic, ubi corpus ejus mortuum jacet? Hunc ergo in causa nostri examinis quam cum districto iudice habemus, patronum faciamus. Hunc in die tanti terroris illius, defensorem adhibeamus. Certe si apud quemquam magnum iudicem causa quælibet nostra esset die crastina ventilanda, totus hodiernus dies in cogitatione duceretur, aliquem patronum quæreremus, magnisque precibus ageremus, ut apud tantum iudicem nobis defensor veniret. Ecce districtus iudex Christus venturus est, tanti illius angelorum archangelorumque concilii terror adhibetur. In illo conventu causa nostra discutitur, et tamen nos patronum modo quem præsto habemus, non quærimus, quem tunc defensorem habeamus. Adest defensor noster beatus Remigius, rogari vult atque, ut ita dixerim, quærit ut quæratur. Hunc ergo adiutorem nostræ orationis quæramus, ut tunc protectorem nostri reatus inveniamus. Quia ne punire peccatores debeat, rogari vult, et ipse qui iudicat. Unde et tam longo tempore comminatur iram, et tamen misericorditer exspectat. Sic autem nos et misericordia ejus refoveat, ut nullo modo negligenter reddat. Sic peccata nostra perturbent, ut mens in desperationem non proruat. Quia etsi præsumentes metuimus, et metuentes speramus, æternum regnum citius adepturi sumus, istius patris et patroni nostri meritis et Deo dignis orationibus. Curramus ergo velocissimis fide pedibus, extensis mentium manibus, ad protectionem illius, atque ad sacratissimum corpus cum fletibus insistamus. Promereri nos veniam ejus intercedentibus meritis deprecemur, ut quia nostris non possumus, ejus meritis apud Dominum veniam impetremus. Et qui velamen honorum operum, quo peccata nostra tegamus, non habemus, ejus meritis, et intercessionibus, puris confessionibus et profusis lacrymis, ante ejus sanctam memoriam procidentes nostra crimina diluamus, et bonis operibus abstergamus. Sed et ubicunque in adiutorium nostræ salutis

A fideliter eum invocaverimus, non deerit ab exauditione, inhærens Christo, sicut et alia eminentiora membra ipsius qui ubique præsens est majestate, quique dum districtus iudex sustinet, et adhuc manum non exerit in percussione, dum a retributione ultionis intimæ; esse quædam temporis securitas indicetur, debemus malum quod sequitur, flammarum scilicet pœnas æternas, intolerabiles atque continuas pensare, pensantes gemere, gementes vitare ea quæ commisimus peccata indesinenter aspicere, aspicientes flere, flentes abstergere. Crimina in quibus delectabiliter diu jacuimus, non perfunctorie, sed quotidie atque si fieri potest, continue amarissimis lacrymis studeamus abluere, eleemosynis abstergere, sacris hostiis expiare. Hæc est pacis petendæ nostræ legatio, quæ regem ad discutiendum et iudicandum nos venientem placat. Nulla prosperitatis transitorie lætitia dissolvat, nec mentis nostræ oculis ea quæ sunt transitoria obstruant, ne cæcos ad ignem ducant.

XIV. Curandum quoque magnopere nobis est, et cum magnis quotidie fletibus cogitandum, quam sævus, quam terribilis sua in nos opera requirens in die exitus nostri princeps hujus mundi veniet, si etiam ad Deum carne morientem venit, et in illo aliquid quæsivit, in quo invenire nil potuit? Quid ita nos miseri dicturi, quid acturi sumus, qui innumera mala commisimus? Quid requirenti adversario et multa suæ in nobis inveniendi dicemus, nisi solum quod nobis est certum refugium, solida spes: quoniam a peccatis quæ post baptismum commisimus, lacrymis abluti per confessionem et dignos pœnitentiæ fructus expiati et meritis ac orationibus sanctorum Christo reconciliati atque per acceptionem corporis et sanguinis ejus, in fide recte permanentes, unum cum illo facti sumus ipsi incorporati, in quo princeps hujus mundi et suum aliquid requisivit et invenire minime potuit? Quoniam solus est inter mortuos liber (*Psal. lxxxvii*), a quo nos et a peccati jam servitio veraci libertate solvimur, quia ei qui vere liber est, per corporis et sanguinis cujus acceptionem unimur. Sicut enim vere carnem corporis nostri Christus assumpsit, et vere homo ille qui ex Maria Virgine natus est Jesus, Dei Filius est, non quemadmodum alii homines per gratiam, sed natura Filius ex substantia Patris: ita vera est caro, et verus est sanguis ejus, quæ ad manducandum et potandum in mysterio sumimus, sicut ipse testatur. Et nos qui vere sub mysterio carnem et sanguinem corporis sui sumimus, per ea naturaliter unum cum illo efficimur. In quibus manet post consecrationem similitudo panis et vini, ne quidam sit horror cruoris, sed manet in eis gratia redemptionis. De naturali enim in nobis Christi veritate, ipse ait: *Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam, et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo* (*Joan. vi*). De veritate carnis et sanguinis ejus non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione et fide no-

stra vere caro est, et vere sanguis est. Et hæc accepta atque hausta, id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. Est ergo in nobis ipse per carnem, et sumus in eo dum secum hoc quod nos sumus in Deum est. Quoniam autem in eo per sacramentum communicatæ carnis et sanguinis ejus sumus, ipse testatur dicens: *Et hic mundus me jam non videt; vos autem me videbitis, quoniam ego vivo, et vos vivetis, quoniam ego in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis* (Joan. xiv): ut cum ille in Patre per naturam divinitatis est, nos contra in eo per corporale ejus nativitate, et ille rursus in nobis per sacramentorum inesse mysterium creditur. Quam autem naturalis in nobis hoc unitas sit, ipse ita testatus est: *Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo*. Non enim qui in eo erit, nisi in quo ipse fuerit ejus tantum in se assumptam habens carnem, qui suam sumpserit. Perfectæ autem hujus unitatis sacramentum, ipse docet dicens: *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo per Patrem, et qui manducaverit me, id est carnem meam, et ipse vivet per me* (Joan. vi). Vivit ergo per Patrem, et quomodo vivit per Patrem, eodem modo nos per carnem ejus vivimus. Omnis enim comparatio ad intelligentiæ formam præsumitur, ut, id de quo agitur, secundum propositum exemplum assequatur.

XV. Hæc ergo vitæ nostræ causa est, quod in nobis carnalibus, manentem per carnem Christum habemus, victuris nobis per eum, ea conditione, quia vivit ille per Patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vivimus, id est naturam carnis suæ adepti, quomodo non naturaliter secundum spiritum in se Patrem, habeat cum vivat ipse per Patrem? Per Patrem autem vivit, dum nativitas non alienam intulit diversamque naturam, dum quod est et ab eo est, nec tamen ab eo per aliquam incidentem naturæ dissimilitudinem separatur, dum in se per nativitatem habet Patrem in virtute naturæ, cui veraciter unimur per incarnationis suæ mysterium. Quod quotidie in catholica celebratur Ecclesia, sicut præfiguratum legitur in sacra historia: Venit Elias ad Jordanem, et exutus pallio suo percussit aquas ac divisit (IV Reg. ii): venit Dominus ad fluvium mortis, quo genus humanum mergi consueverat, et exuens se ad tempus habitu carnis quem sumpserat, mortem moriendo percussit ac vitæ nobis iter resurgendo patefecit. Recte enim per Jordanem fluxus nostræ mortalitatis ac defectus exprimitur, quia et Jordanis Latine *descensus eorum* dicitur, et ipse fluvius in mare Mortuum influens, laudabiles suas ibi perdit aquas. Transit autem Elias diviso Jordane per siccum, transit et Eliseus: quia resurgens a mortuis Salvator, fidelibus quoque suis spem resurgendi tribuit. Transito Jordane Elias dedit optionem Eliseo postulandi quæ vellet. Et Dominus impleta resurrectione gloria, plenius discipulorum sensibus, inseruit, quod et antea promisit: *Quia quodcumque petieritis in nomine meo hoc faciam* (Joan. xiii et xv). Petiit Eliseus ut fieret spiritus Eliæ duplex in se, et

A edocti a Domino discipuli promissam spiritus gratiam accipere desiderabant qua non uni tantum genti Judææ, quam ipse præsens in carne docuit, sed et cunctis per orbem nationibus prædicare sufficerent. An non duplicem spiritus sui gratiam pollicebatur, cum ait: *Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet* (Joan. xiv).

XVI. Sermocinantibus Elia et Eliseo, subito currus et equi ignei rapuerunt Eliam quasi usque in cælum. Qui profecto currus et equi, angelicæ sunt intelligendæ virtutes. De quibus scriptum est: *Currus Dei decem millibus, multiplex, millia lætantium. Dominus in illis* (Psal. lxxvii); et iterum: *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem* (Psal. ciii). Horum namque Elias subsidio, utpote homo purus, quo a terra tolli posset agebat. Et Dominus cum apostolis loquens, subito videntibus illis elevatus est, et si non angelico fultus auxilio, angelico tamen comitatus obsequio. Vereque est assumptus in cælum, angelis quoque id ipsum attestantibus, qui illis dixerunt: *Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet* (Act. i). Sublevatus ad cælum Elias, dimisit Eliseo pallium quo erat indutus. Ascendens in cælum Dominus, sacramenta humanitatis assumptæ discipulis, imo Ecclesiæ, quibus sanctificaretur in virtute dilectionis, ac calefieret, reliquit. Assumens Eliseus pallium Eliæ percussit eo aquas Jordanis, et ubi invocavit Deum Eliæ, divisæ sunt et transiit. Assumpserunt apostoli, assumpsit instituta per eos omnis Ecclesia sacramenta sui Redemptoris. Quibus spiritualiter erudita, abluta et consecrata, ipsa quoque invocato nomine Dei Patris, impetum mortis superare, ejusque obstaculo contempto, ad vitam transire didicit sempiternam, juxta quod Dominus in Evangelio dicit, inquit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam* (Joan. iii). Quoniam qui credens in Christo, passionis suæ sacramenta credendo, confitendo, sinceriter imitando, fideliter sumit, salvatur in perpetuum ab omni morte quam peccando in anima pariter et carne contraxit, et non solum perditionem evadet pœnarum, sed et vitam percipiet sempiternam.

XVII. Ad quam beatæ et gloriosæ semper virginis et genitricis suæ Mariæ dominæ nostræ ac istius patroni nostri beati Remigii meritis et intercessionibus, in fide recta et bonis operibus nos perseverantes, et per acceptionem corporis et sanguinis sui unum secum effectos perducere dignetur, et per eadem humilitatis ejus sacramenta usque ad contemplandam divinitatis ejusdem gloriam, quam ipse fidelibus servis suis fideli pietate pollicetur, dicens: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum* (Joan. xiv). Meipsum manifestabo, inquit, id est non qualem me omnes conspiciere, qualem etiam invidi crucifigere, sed qualem in decore suo regem sæculorum soli videre possunt oculi mundi sanctorum: talem me ad repen-

dendam vicem dilectionis, his qui me diligunt, ostendam. Pertingere faciat Christus Jesus Deus, et Dominus, conditor et Redemptor atque ab omni morte ac corruptione Salvator noster in qua cum

A Deo Patre, Spiritu sancto coæternus et consubstantialis ac coæqualis, vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XXIII.

RESPONSIO DOMINI HINC MARI

AD QUORUMDAM QUÆSTIONES

Cur in quodam suæ humiliatis scripto posuerit mysticam Nicænam synodum.

(Apud Sirmond., ex codice S. Laurentii Leodiensis.)

Quæsitum est, ut a quibusdam mihi dictum est, cur in quodam meæ humilitatis scripto posuerim mysticam Nicænam synodum. Unde sicut doctrina catholicorum nobis est traditum, reddimus rationem: videlicet quia et veteri historia præfigurata, et per numerum signi passionis ac nominis Domini nostri Jesu Christi est designata, et præscientia consecrata. Nomen enim mediatoris Dei ac hominum hominis Jesu Christi, qui divinitate nos condidit, et humanitate in unitate personæ suæ divinitatis assumpta redemit, cum sit Hebræum, apud Græcos, qui ut Hebræi in nominum interpretatione, ita in numero litterarum gloriari dicuntur, litteris Græcis ita scribitur ΙΗΣΟΥΣ quod Græce dicitur ΣΩΤΗΡ, Latine interpretatur SALVATOR, sive *salutaris*. Et hujus Hebræi nominis litterarum numerus apud Græcos iste est: Ι, 10, Η, 8; Σ, 200; Ο, 70; Σ, 200. Collecto autem in unum hoc numero, fiunt quadringenti octoginta octo. Unus namque, qui dividi non potest, decies ductus denarium perficit, et denarius quater ductus in quadragenarium surgit, et quadraginta decies ducti quadringentos efficiunt; quia juxta Pauli vocem: *Unus est Deus, unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (I Tim. II, 5). Cujus gratia ad æternam vitam, quæ centenario numero et hoc quater ducto figuratur, electi omnes, non solum de incorruptione animæ simul et corporis, verum et de visione divinæ majestatis, cum gloria ejusdem mediatoris Dei et hominum clarificatæ humanitatis gaudebunt. Octavo autem et octogenario numero qui octo decadis constat, patenter innuitur quia quomodo Christus octava die resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus, et ipsa quotidiana nostra circumcisio, quæ in Veteri Testamento octavo die fieri solebat, id est, quotidiana cordis nostri mundatio, semper octavæ diei sacramentum celebrare non desinat, donec accipiamus binas stolas, immortalitatem scilicet et incorruptionem corporis simul et animæ. quod octavo et octogenario, ut diximus, numero designatur. Sed sicut majorum traditione didici-

mus, in libris Græcorum, verum et in Latinorum, uti comperimus, per notas scribuntur nomina, quæ interdum prima et novissima et virgula superposita in dexteram æque veniente a sinistra, ut DS. NR. VR. Interdum autem prima et media et novissima notantur littera, et virgula superposita in dexteram æque veniente a sinistra, ut XPS. DNS. Et sicuti in hoc nomine, cum scribitur ΙΗΣ casu nominativo, quarum litterarum numerus iste est: Ι, 10; Η, 8; Σ, 200, in unum autem collectus hic numerus complet ducentos decem et octo. Centenarius namque numerus, qui decem decadis constat, et de læva transit in dexteram, perfectus est numerus. Σ similia, littera ultima in nota nominis Jesu in nominativo casu ducentos exprimit, quia perfecta Deus ante sæcula, perfectus homo factus est in fine sæculorum. Denarius vero in decalogo perfectus est numerus, continens in se mysterium quadrigæ evangelicæ. Computa enim ab uno per ordinem usque ad quatuor, et invenies decem. Octonarius quoque numerus docetur esse perfectus in Jesu octavæ diei resurrectione: qui etsi mortuus est ex infirmitate nostra, sed vivit ex virtute Dei, qui per signum suæ passionis, quod T tau littera signat, continens numerum tricentenum, elisit diabolus, occidit mortem, triumphavit infernum; cui si super transversa linea id quod in cruce est adderetur, non jam crucis species, sed ipsa crux esset. Collige autem in unum signi Dominicæ passionis et nominis numerum, invenies quadringentos decem et octo. Quingenti denique quinquagenario numero decies ducto complentur, quia gratia Domini Jesu crucifixi, et a mortuis suscitati, et in dextera Dei sedentis, non solum legis decalogum, sed et quatuor sancti Evangelii libros implemus, et octava resurrectionis die resuscitati, ad reguiem sempiternam, quæ jubileo, in est quinquagenario numero, designatur, in æternam vitam, quæ centenario numero monstratur, fide recta et operibus bonis perveniemus. Et recte sacra Nicæna synodus mystica dicitur, quia non humana industria, non compositione aliqua, trecenti decem et octo episcopi ad idem concilium per-